

1543

hortari ; ad bellum adversus communes hostes impellere . Verum id Pontificis animo insederat , ut Octavio Farnesio ejus nepoti Mediolani principatum Cæsaris auctoritate deferret : quæ res Italicae Principibus , ac Venetis præsertim pergrata foret , quibus nimia Cæsaris potentia suspecta erat ; ac Neapolitano foedere summo studio caveri enixi fuerant , ne quisquam Austraci stemmatis Insubrum Princeps a Cæsare diceretur . Hæ Pontificis cogitationes , quæ Cæsari notæ erant , ab eo colloquio mirum in modum illius animum abducebant : quare cum e Bononia Petrum Aloysium filium , atque Alexandrum Farnesium nepotem , prima juventa in Cardinalium Collegium cooptatum , ad Cæsarem Genuam misisset , ut colloquio dies , ac locus diceretur , prædurum , atque abhorrentem offendenterunt , quod sibi in Germaniam properanti cunctatione tempus terendum non esse diceret . Sed nihil eo deterritus Pontifex , cum a Cæsare , ut Bononiæ se conferret , imperare non posset , tandem ut Buxetum , Pallavicinæ familiæ oppidum , Parmam inter atque Placentiam situm , ad colloquium deligeretur , convenere . Sed tamen nihil , quod ad pacem publicam pertineret , Pontifex obtinere potuit , cum Cæsar , in Menapiorum Ducem concitato animo exardescens , ad vindictam vehementi impetu contenderet ; neque Francisci Regis , a quo toties , ruptis foederibus , deceptus esset , promissis unquam fidem habiturum se diceret . Neque vero ea , quæ de Mediolanensi imperio ad Farnesiæ familiæ incrementum , ac decus Pontifex mente conceperat , feliciorem exitum habuere ; nihil ea in re , nisi de Imperii procerum sententia statui posse Cæsare pernegante . Inde Buxeto discedens , per Venetorum fines a legatis Reipublicæ deductus , recta Tridentum perrexit ; mox Ulmam , postea Spiram Germaniæ urbem proficisciatur , ab illius comitatu Daniele Bonitio Senatus scriba non discedente ; cum Nicolaus Pontius , legatus , gravi morbo corruptus Tridenti subsistere , moxque ad urbem regredi coactus esset , cui Bernardus Naugerius a Senatu suffectus est .

Dum Cæsar in Germaniam magnis itineribus properat , Suleimanus cum ingentibus copiis Pannoniam ingressus , omnia foediissime direptionibus , ac cædibus vastat ; Valponium , mox Soclos capit ; Strigonium , licet fortiter propugnatores initio re-

sti-

*Pauli Pon-
tificis &
Cæsaris Bu-
xeti conve-
rus.*

*Daniel Bo-
ritius , Ve-
netus a se-
cretis , apud
Cæsarem .*

*Bernardus
Naugerius
orator ad
Cæsarem .
Suleimanis
in Pannonia
progressus .*